Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 37
Quelle:
Copyright:

Hic ſylo, bethoron, ieruſalem, mons quoque, templum.

Poſthaec incipiunt Biblia. In his *Esdras* et *Nehemias* unus Liber videri poſſent, niſi in *Nehemia* Capita denuo ab I. ordirentur. Interim tamen III. *Esdrae* apocryphus inſcribitur II. *Judith* et *Eſther* *Tobiam* praecedunt. *Job.* I. c. 5. Teſtimonium terreſtre ſcriptum eſt ante coeleſte et omittit: *et hi tres unum ſunt.* Ad calcem nulla hebr. et graec. Nominum Interpretatio.

XXV.

R. 1687 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 318. 8. maj. ejusdem rationis cum praecedente, niſi quod charactere minori et tenuiori perſcriptus ſit, haec ſibi propria habet. In anteriore theca lego: *Dominus ſtephanus de wuldersdorff capellanus domini Thome Krafft Procuratoris fratrum minorum in Egenburga In anno Jubileo tempore peregrinationis ſue reliquit predictis fratribus pro valete hanc bibliam* 1477. Putem erratum in hoc numero; *Jubileum* enim iſtud *Romae* jam a. 1475. agebatur. Foliis aliquot ante *Biblia* vacuis duo infarcta ſunt, et quidem rudi manu, ut ſaepe ſplendidiſſimos Codices deturpatos videas, inepto quodam membranae aut chartae parcendi ſtudio: primo *Speculum Monacorum editum a beato Bernardo*, quod incipit: *Si quis emendacionis vite deſiderio tactus* &c. nec eſt *Bernardi*, ſed *Arnulfi de Boeriis*, ut T. VI. *Biblioth. Ciſterc.* detexit *Tiſſerius*, interim tamen etiam legitur in edit. *Maur. Bernardi* T. V. *col.* 799. Secundo: *Scala Clauſtralium* hoc initio: *Cum die quadam corporali manuum labore* &c. ſine nomine Autoris, qui eſt *Guigo Carthuſianus*, quamvis inter *Bernardo* olim adſcripta T. *cit. col.* 311. reperiatur. In *Bibliis* deinceps *Joſue*, *Judices* & *Salomonis* Libelli, exceptis *Canticis*, Elenchum Capitum praeferunt, poſt *Epiſtolam Pauli ad Hebraeos* comparet etiam ſpuria *ad Laodicenſes*, denique *Apocalypſis* praecedit *Epiſtolas VII. Canonicas*, ubi I. *Job.* c. 5. duplex teſtimonium cum Cod. praecedente conſentit.

XXVI.

Codex membraneus lat. Sec. R. 3241 XIV. Folior. 341. 8. per duas columnas minutiſſime, ſed nitidiſſime perſcriptus, coloribus et literis initiorum deauratis, ſpecioſus, atque inter libros Bibliothecae Civicae *Vindobon.* in Palatinam coemtus *Biblia ſacra* vulgatae interpretationis Prologis *Hieronymianis* et ſolitis Argumentis, quorum tamen aliqua a ſecunda manu acceſſerunt, ordine conſueto complectitur. In iis deſcribendis lapſus eſt aliquoties Librarius. *Prologum in Joſue* cum aliis praemiſit *Geneſi.* Librum *Judicum* inſignivit: *Incipit liber Judicum, qui intitulatur Joſue.* Ante *Pro-*